Quelle: https://manuscripta.at/?ID=468
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

uedificant mulierem derelictam . et
uxorem ab adolescentia abiectam que
ad punctum et in modico dereliquit
dominus . ierusalem esse dicens . qui abscon-
dens faciem suam parumper . suscepit
eam in misericordiis sempiternis . et do-
lorem preteritum gaudio commutavit.
Hoc iuxta hebraicum . Porro iuxta
lxx . non eam dicit quasi derelictam
mulierem . et pusillanimem uocatam
a deo . neque sicut uxorem que ab ado-
lescentia odio habita sit . sed idcirco
se eam ad modicum dereliquisse . et
auertisse faciem suam . ut misereatur
illius in eternum . Si igitur iudei et nostri iu-
daizantes dicunt israel ad modicum de-
relictum . ut aduentu christi eius misere-
atur deus . et modicum inter pretantur ad com-
parationem totius eternitatis . cur et
nobis non concedant modicum dicere
tempus quo gentes sunt derelicte ut
abiecte in medio que in adoles-
centia que in adolescentia sua dei
fuerant . postea in senectute eternam
misericordiam consequantur . presertim cum
in uocatione temporis israel . numquam
exclusa sit . turba gentilium sed semper
eis ut proselitis ianua patuerit re-
uertendi . ut sicut nos illorum uocatio-
ne parumper uidemur exclusi . sic il-
lorum exclusione perpetua . nobis
ad dominum reditus concedatur . Perpetuam autem
exclusionem diximus . si non egerint
penitenciam . Alioquin paulus apostolus
dicit . Conclusit deus omnia sub pec-
cato . ut omnibus misereatur . Que nos
de ecclesia exutique populo congregata

sumus interpretati . et iudei de ie-
rusalem accipiunt qui solam tropologi-
am secuntur et in locis difficillimis
libere disputacionis excursu nas-
centes fugiunt questiones ad ani-
mam referunt peccatricem . que abiec-
ta a deo sit non odio . sed ob dispen-
sationem . ut malorum pressa pondere
reuertatur . ad uirum suum pristinum . et
perdita substantia de patris cle-
mentia non desperet . Animi est grandis
misericordia occurrere filio reuertenti a-
nulum et stolam osculumque porrigere .
et inuidenti fratri iuxta alterius pa-
bole similitudinem dicere . amice
si ego bonus quare oculus tuus nequam est .
Sicut in diebus noe istud michi est . cui
iuraui ne inducerem aquas ultra
super terram . Sic iuraui ut non irascar
tibi . et non increpem te . Montes enim
commouebuntur . et colles contremiscent .
misericordia autem mea non recedet . et fedus pacis
mee non mouebitur . dicit miserator
tuus dominus . LXX . Ab aqua que fuit
sub noe michi est . sicut iuraui ei
in tempore illo terre nequaquam ultra irasci
tibi . neque in comminatione tua mon-
tes transferre neque colles tuos transferentur .
sic nec mea misericordia deficiet . nec testamen-
tum pacis mee auferetur . dum propicius
tuus dominus . Ut credat sanctorum congrega-
tio . misericordiam domini sempiternam et ideo
ad punctum . et breue eos esse deserto
ut in amicicia dei eterno federe iun-
gerentur ponit exempla maiorum dicens .
Quomodo in uniuerso orbe peccante per quem
corrupit omnis terra uiam domini . in